IN FVNERE
REVERENDISSIMI PATRIS
FR. GREGORII
DONATI ROMANI
S·P·A· MAGISTRI
LAVDATIO
MATTHAEI TABERNAE
SOC. IESV.

Habita in templo B. Mariæ supra Mineruam decimotertio Kalendas Iunij altero ab obitu die anno 1642.





ROMÆ, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. MDCXLII.

Superiorum permissu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IVLIO ROMAE

S. R. E.

CARDINALI

AMPLISSIMO

MATTHÆVS TABERNA F.





NTER umbras nocturnas ad lychnum concepta, ad faces emortuales parta laudatio, parentes amabat tenebras, hoc uno laudanda, quia suæ conscia imbecillitatis obfuturam lucem declinaret. nolebat in apertum proferri, quod eam inter angustias pressa tumultuaria quædam festinatio fungino partu effudisset; verita ne properantis nimium manus abortiuum opus legentis oculos auerteret potius, quam teneret. at quando multorum precibus aliorum imperijs coacta non sine Autho-

ris dolore in aſpectum euocatur, e ſolo obſequendi ſtudio laudem ſperans efferri ſe tandem paſſa eſt, ſed velut animo vacuum cadauer ad funus non tam Gregorij Donati, quam ſuum; quod ne moleſtiæ ſit omnibus Purpura tua Eminentiſsime Princeps *ex veteri Romanorum inſtituto conueſtio, illiquè à tuis gentilitijs* Roſis *certam auguror perennitatem, quando* Roſa *καὶ νεκροῖς ἀμύνει hoc eſt mortuos propugnat; Quo fiet, vt Sapientiſsimi Viri virtus meæ alioquin laudationi quam primum immoritura, tuo ab nomine, nominis immortalitatem aſſequatur. Interim P. E. primum hunc informem, & infælicem ideo, quia præpropera nimis editumne an extractum celeritate, meæ partum tenuitatis, tuo fælicem redde patrocinio, eumque, vt me ſoles, foue, & ad publicam fælicitatem diu Vale.*

Plut. in Bruto. Anacreon.

LAV-

LAVDATIO



VCVLENTA feraliter isthæc pompa, & ipsis in lachrymas diffluentibus ceris splendidè luctuosa, faces contextos inter, ac pendulos vmbrarum horrores emortuali luce trepidantes, squallida demum vniuersa silentis theatri facies, ita me eripit mihi, vt conceptos animo sensus aperire vix possim. Si vna loci insolentia disertissimum olim, & rebus omnibus ad dicendum instructissimum Oratorem Porcium Latronem dicere aggredientem, Senec. controu lib. 9. præf. Quint. lib. 10. c. 5. eousque perturbauit, vt initium suæ duceret Orationis ab errore. Quid ego inexpertus, nunc primum in solem prodiens, seu potius in vmbram, in noctem melius dixerim tot stellarum luridè scintillantium luce nigriorem repentinus, & imparatus non Orator, sed Oratoris vmbra non peccabo? Equidem nec tam repentinus esse, nisi iussus, & silentio potius, quam Oratione peccare voluissem. Verum quando tantam calamitatem deploraturus conducta velut præfica euocor Lucil. l. 22. ad tumulum, vbi tacito lachrymarum honore parentare non licet dabo laudes dabo etiam si li-

cuerit

cuerit lachrymis, etſi neſciam vtræ mihi ſint magis in procliui; dabo laudes, ſed lachrymantes, dabo lachrymas, ſed laudatrices, vbi enim vel ipſæ emortuales tædæ flammeis linguis eloquenter perorant, ſilere linguam nefas eſt, Quod ſi eloquentiam natura negauit Oratori, nonnullam facultatem tribuet Gregorij Donati virtus, in qua commemoranda ne infantiſsimo quidem deeſſe poterit Oratio. Viuidum verò Orationis ſplendorem, tot inter tenebras, viuaciores dictionis ſpiritus mortis inter ſuſpiria, luxuriantis

Plut. in problem.

eloquentiæ floſculos in Libitinæ ſenticeto, ornatum in ſquallore, pompam in luctu qui quærit, nouerit is diſcincti pectoris eſſe in ſerijs aucupari

Plut. quæſt. Rom. q. 23.

voluptatem, quãdo Veneres ipſæ, quæ funeribus olim ornamenta ſuppeditabant, in lachrymarum oceano pro thalamo tumulum naufragæ nanciſcuntur. At vnde lamentabilem, & luctuoſam commendationemne an næniam ordiemur? Sanè vnde vitam exorſus eſt Gregorius, vt exordio vitæ, mortis exodium componatur. Vnum interim hoc meminiſſe vos omnes velim AA. veri doloris legem eſſe, legem omnem neſcire, & artem maximam, nullam artem vſurpare.

VVoſſ. l. 1. Inſtit. orat. c. 10. & 12.

Atque vt in primo dicendi limine primas Oratorum leges tranſgrediar, fumoſas in tanto viro maiorum imagines, antiquas omnes ceras, longum ſanguinem lubens omitto, gratum (vt opinor)

nor) illi facturus, qui Deo se dignum vt fingeret, Vir. Æneid. l. 8.
auitum gentilitiæ lucis exosus splendorem elegit
abiectus esse in domo domini. *Qui* enim *genus* psal. 83. 11.
laudat, aliena laudat (aicbat ille.) *nemo, quicun-*
què ille fuerit in nostram virtutem vixit, nec quod Senec. in herc. fur.
ante nos fuit nostrum est. Si ortum spectes pares Senec. phil. ep. 44.
nascimur, nec purpurata mater perfectiorem par- Euripid.
tum effudit quam plebeia. Emendicet ergo alie-
na decora, qui proprijs caret non sua luceat luce,
qui terræ vapor est. Ipse sibi sufficit Gregorius.
Magnus est, illustris est, etiamsi titulos adimas;
nec tam excors ego, aut imprudens, vt statuam
basi metiri velim, mendacio staturam exagge-
rans. Pleno, & suo elogio laudatur Gregorius
Donatus, cum nominatur.

Nobilitatem generis infularum etiam luce
conspicuam virtutum, & sapientiæ splendore
æquauit, vicit, vt vel in primo exorientis auroræ
sublustri crepusculo iure posset cum coronato
sapientum Rege, & Regum sapientissimo glo-
riari, puerum se ingeniosum sortitum planè fuisse Sap. 8. 19.
animam bonam, quippe qui vel primo in vitæ
limine sapientiam prius pænè, quam solem no-
uerat salutare. Testabitur eius amænitatem in-
genij Romanum nostræ societatis Collegium, in
quo telluris Atticæ naturam auersatus, cultoris Xenoph. in Vectigalib.
admissa manu rudis adhuc flosculus, eos sese eru-
diuit in fructus, quorum ipsa quoque postmo-

dum

dum in senium vergente arbore : prædulcem; plenamque maturitatem litteratorum vniuersitas semper adamauit. Videre erat puerum Gregorium vix rectis insistere gressibus incipientem, iam ad eloquentiæ spatia primos passus promouentem, in ijsque ingenij, iudicijque sui altè impressa vestigia relinquentem. dixissetis illum iure optimo rudimentum naturæ Rhetorem facere condiscentis: & sanè quidni Rhetorem illum appellem, qui puer, puerorum crepundia respuens, & naturæ lenocinantis argumenta dissoluens, sibi ipsi, quouis Oratore fælicius fugam à mundi pompis persuasit, sequè suo victum ingenio apertè professus, non tam manus dedit, quam animum charitatis vinculis coercendum? trilustris enim saniori consilio quam Homericus olim Glaucus ferrum auro, hoc est mundumDeo inter D.Dominici claustra commutauit. Vbi quæ immaturæ ætatis matura consilia, qui præcoces fructus cum ipso flore prodeuntes? quæ vernabat comitas in vultu, quæ seueritas tenerum adhuc animum informabat? autumnabat adeò in eius annorum vere dictorum, factorumque maturitas, vt, prçter ætatem, acerbum nihil in eo nosceretur. quin imò maturorum adeò fructuum fæcundus illius animus supra Memphiticos agros visus est in ipsa annorum acerbitate, vt futurç annis ponè sequentibus maturitatis nullum posset prçsagium

Homer. Iliad. 6.

Diod. sicul. l. 1.

super.

ſupereſſe. Nec verò tantam fęlicis ingenij facilitatem comes deſtituit labor, ſed quadam, pænè dixerim, laborum intemperantia laborabat Gregorius, qua *vt indefeſſa vertigo Cælum rotat, vt ſtare ſol neſcit ità continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus eſt*, vt nullum planè diem ſine lucro traduxiſſe dici poſſit, qui nullo non vixit die. & eum quidem Cleanthis ad lucernam ſæpius chartis impalleſcere, & eruditum puluerem ſudoris ſtillicidio irrigare conſueuiſſe, teſtantur ipſi comparata, breui admodum tempore, politiorum ſimul, & ſeueriorum ornamenta diſciplinarum, quarum complexione multiplici diues nunquam in frequenti litteratorum ſenatu, vel ipſis coram Roſcijs geſtum fæcit illaudatus. Eius nimirum ad omnia natum ingenium ſiuè mollius in florulentis Rhetorum luderet amænitatibus, ſiuè Peripatum inambularet ſeuerius, ſiuè Sāctioris Palladis ſecreta viſeret Gynecæa, facilitate mirum quantum verſatili, arguta grauibus, iucundis ſeria, dulcia vtilibus permiſcebat, alternoque ſemper conſonantium laborū cōcentu gratā Auditoribus, & Pytagorica certiorem dabat doctrinarū harmoniā. Liceat dicere; vix loquens, & iam eloquens, vix adoleſcens iam Orator, iam Philologus, iā Philoſophus, iam horarū denique, & litterarum pœnè omnium vir audiebat. Vnum hoc dixiſſe ſit ſatis. Gregorius

Senec. de 106. — Lat. Pacat. — Varr. l.4. de ling. lat. — Perſ. ſat. 5. — Cic. 1. Acad. — Max. Tyr. diſſert. 31. — Quintil. l.6 c.4.

ætate quidem adolescens, adultus vero sapientia, quinque duntaxat emensus lustra, vnus ex doctissimorum Patrum numero Philosophiæ Magister seligitur. Quid hic hæretis A? magnum aliquid dixi? Ità planè, sed maius addo. Etiam Deum propius contemplantis facultatis Professor designatur. Ità ne vero? tantam maiestatem ætate tantula sustinere? Sacra adyta male obfirmato gressu peruadere, & ipsam Diuinioris operis molem imbelli manu pertractare? tantæne animæ capax angustum adolescentis pectus? poterisne Gregori oculo irretorto, & inconniuentibus palpebris inaccessam Diuinitatis lucem intueri? poterisne Sacrorum ænigmata oraculorum Oedipo sene Iuuenis fortunatior interpretari? poteris sagaci mente perstringere ea secretioris sapientiæ mysteria quę vel lyncibus ignota prętervolant, & nullis assonant auribus, nullis sensibus blandiuntur, nulla demum acutissimæ mentis perspicacitate, possunt comprehendi? absiste Gregori, absiste, grande nimis pondus est, & cui vel ipsum sæpius Atlantum robur depressum succumbit. ruinam celsitudini parem metire, & time; qui Cælo labitur, abyssum petit. Sed meliora ominari lubet A, Gregorius in ipso Iuuentutis limine, naturam vincens ingenio, apicem tetigit Sapientiæ, & spatio breui spem longam incohans, Magistri prius nomen inuenit, quam quæsiuit, metam in ipsis

natal. com. mytol. l. 9. c. 18.

paul. 1. Cor. 1. 9.

car-

carceribus figens. O Ingenium ſuprà omnem hominum conditionem planè Angelicum, O pectus (liceat dicere) diuinorum theſaurorum capaciſſimum. O animum non ficto ſidereiCrateris liquore, ſed veræ ſapiētiæ ſincero nectare delibutū. Rodig. l. 2. c. 13.
O Vos fortunatos Patres, quibus, quamuis non perinteruallaviritim, ſed cōtinuo tenore agminatim, magnorum iſthæc ingeniorum Monſtra, vel ad Naturę inuidiam, fœlici perennitate naſcantur, tales tamen viros, non niſi ſæculo quouis perpaucos, tanquam ætatis ſuæ phœnices licet Sen. ep. 42.
venerari. Laudet Accius proinde in Ingenijs vt Agell. l. 13, c. 2.
in pomis primam illam acerbitatem, tempori nimirum congruentem magis, & ſecurioris prænunciam maturitatis, Gregorius tempora ipſa anteuertens à nullo debuit ſuorum partuum perfectionem expectare, Naturam planè dum naſceretur exhausit, quæ gemellis grauida Gregorium ſimul, & ſapientiam, (quod olim de Catone Valer. Max. l. 4. c. 3.
& continentia dixit non nemo,) vno partu enixa vobis omnibus perſuaſit, vt eum communi ſuffragio diceretis ſcientiarum omnium Hermathenam. Cic. ad Attic. l. 1. ep. 2
Vobis vero gratulor Patres quibus inuidenda ſorte obtigit, vt inter præcipuas veſtras laudes vnam hanc recenſeretis, quod eum Præceptorem audiſtis, quid præceptorem? quod in eo plures præceptores audiſtis. Plures enim (mihi credite) non animæ dumtaxat, quod olim Hetru-

Virg. 8. Aen. Agell. L. 7. c. 1. Plut. in vita Caes. Initio. Max. Tyr. dissert. 28.

ſco in Herylo finxit Poeſis, non corda, quæ Principi erudito dedit aſſentatio, ſed plures inerant in Gregorio ſapientes, vt plures in Cæſare Marios nouit aliquãdo Sylla, nõ quidẽ ex ſomniantis Pytagòræ metempſychosi, ſed ex multiplici rerũ cõplexione, qua in arctũ pænè coacta diſciplinarum omnium maieſtas, & multitudo Gregorium in ſe vno colligentem, quæcumque *alios diuiſa beatos efficiunt* viuã ſpirantemquè fecit Encyclopædiam.

Claud. de Laud. Stil. Pan. 1. 34.

Vitruu. l. 1. c. 1.

Nihil addo de meo A, nullam viro ſapienti laudem appingo nouam, alieni coloris nihil impertio. Gregorium meraciſſimum ſcientiarum fontem fuiſſe, ipſam omni generoſiori ſpiritu ſapientiam emedullaſſe, res ipſa pronunciat, vt non ſit opus laudatione mea, quæ vtinam de Gregorij laudibus multa non demat. Magiſtri munere explero, annorum ſex ſupra viginti ſpatio, vt plura pænè docuiſſe, quam didiciſſe dicendus ſit, reliquum nil aliud videbatur, quam vt ſuo præfinitos Ordini, ſuiſque debitos meritis dignitatum gradus propè omnes occuparet. celſiore nimirum in loco conſtituendus erat quo ſuę ſapientiæ, & virtutis admirandum præberet ſpectaculum. Quamobrem Petronio per id temporis *Sacri* (vt aiunt) *Palatij Magiſtro* in ſocium addicitur. quo in munere Pauli eius nominis Quinti, Chriſtiani clauũ imperij tunc regentis ſtudioſiſſimè voluntati, genioque ſeruiuit, eiuſque ad

men-

mentem suum tam exactè animum expressit, laneo pede turbas submouens omnes, dura mollibus infringens, & benè pertinaci digito occurrentium in dies difficultatum nodos suauiter enodans, vt rerum pondera grauiorum suis imposita viribus sustinere diceretur animo humanū planè modū excedente. Ab vniuersitatis penè regimine reuocatus ad suos, Neapolitanam Prouinciam cognata sibi seueritate rexit adeò, vt nullis vnquam precibus in alicuius partem iniqua lance deflexerit. Quid hic de mentis illius celsitudine dicam, quæ grandia semper, & sublimia meditans, quippè meliori flamma incalescens, teporem nullum vnquam in se, vel in alijs admisit? æstuabat sæpe afflatus Deo, quià Deum affatus, & suo plenus Numine, quicquid vel leuissimè peccabatur, acriter emendabat; certus medicos amantes nociturū nihil in ægro relinquere, nec duram curationem dicendam esse, cuius effectus sit salutaris. Suo interim omnes, idest æquo, dimensus pede, ita subditos regebat, vt se ipsum, oculata mente, cæca sapienter manu; nihil in illo ad mortalis cuiusquam gratiam compositum, qui vni Deo seruiebat. pari in omnes studio ferebatur, & ad sola meritorum discrimina oculatissimus ad reliqua cæcutiebat. Et quamuis à nullo pietatem perfunctorius exactor expeteret, iunioribus tamen apprimè instituendis eius solli-

Hor. l. 1. od. 9.

Senec. l. 1. de Ira c. 5.

Horat. ep. 7. l. 1.

citè

citè deſudabat induſtria ; quicquid quacumque via irrepſiſſet culpæ acri protinus ſpongia detergens, ne bibulis, liquoremque omnem admiſſuris animis per lenta ſtillicidia noxium aliquid exciperetur, nullius inde violenti conatus ope exprimendũ, neminẽ enim repente fieri peſſimũ longo edoctus erat experimẽto, ſed tardis tinearũ corroſionibus vniuerſum paulatim robur emedullari, difficillimæ proindè artis periti ſſimus præprouida cura anteuertebat animorum pericula, & ipſo in ſemine latentes colubros Hercule verius præfocabat. Quamobrem aliquanto ſeuerior audijt Areopagita, non inficior, ſed in augmentum pietatis, ſed in perennaturam Ordinis Sanctiſſimi religionem. Tantum poterat honeſti ſpecies conſtanti pectori inſculpta, vt ſuæ aliorumque pietati conſulturus, cognatam aliquãdò morum facilitatem dediſcere videretur. Non defuit tamen tanto viro Prudentia, quæ feruidum pectoris ardorem iucũdè temperaret, non enim violenter res aggreſſus in eas ſubita deliberatione inuolabat, lingua mentem præcurrente, ſed rerum prius momenta diſcutiens ſingularum, alienæ magis, quam ſuæ prudentiæ admirator, omnium admittebat pronus conſilia, quin vltrò depoſcebat nullis vnquam aſper monitoribus: gaudebat, ſi quem candida dicendi libertate ſincerum Phocionem nactus eſſet, ſplendidum illud

&

Iuu, ſat. 4 14.

Steph. Bell. ſermon. in Sent.

Apollod. l. 2

Lucian in Sect.

Hor. in art. 33.

Plut. apop.

Magnatibus familiare malum exosus *nolle doceri*. Euripid. Eurip. in Phenis. nouerat nimirum ex Eteoclis effato nunquam omnia vni, vel perspicacissimo oculo patuisse. Comes Prudentiæ, oris, animique candor nullos verborum fucos, nullos subdolos sensus, nullas ambiguitates bilingues labio mendaci admittebat: mentitus oculus, byssina verba, sermonum Patyrat. Cyri mar. retia, risus impostor, cōsuti doli, simulata cōsilia, Lucian. in bis accus. fraudulentæ circumuentiones, mirum quantum ab illius animo distabant, qui vere Romanus, plebeium, & seruile mendacij vitium, viro indi Plut. de puer. educ. gnum existimans, nihilq; præter Deum ambiens, perituros omnes, ex veteri Platonis decreto, cum Plat. 11 52. psal.5 .7. sanctissimo Rege pronunciabat, qui mentem vultu simulantes cordis & linguæ concordiam labefactant. Quis verò lenem illam, placidam. Mamert de Iul in grat. act. c 26. què semper satis explicet morum facilitatem, qui amænitatem frontis, quæ fiduciam vel aduersantibus extorquebat, quis gratam oculi serenitatem, qua vectigales sibi animos comparabat, quis erudito sale conditam vocis vrbanitatem, qua vel reluctantes in sui amorem mentes deriuabat? æquabili vultus tenore constans, & sibi similis, ore, oculis idem fastum amari nescium, barbarum nempè illud de tumore monstrum, Euripid. tanquam laruatum religionis mendacium semper est auersatus. Atque hæc quidem debilioris fortasse naturæ signa visa fuissent, nisi tam molli

obductum velamento duriorem in calamitatibus animum oſtentaret. Ità altiſſima quæque flumina tranqui la fronte, minimo ſono ſed robore

Ver. Sap. ineluctabili labuntur. *Homines quidem ſumus* (aiebat olim ſapiens) *non ſcopuli, & illiſione rerum fortuitarum, mouemur* ſæpe, ſæpe labefactamur; ſed animum Gregorij, ſi ſcopulum, ſi rupem immotam dixero, à veritate ne latum quidem vn-

Merc. ap. Æſchil. guem aberrabo. Quoties minas inter quaſi decumanis iactatus fluctibus ſtetit inconcuſſus? quoties irruentium in capitis perniciem, calamitatum impetus ſuſtinuit, & ipſis altior nubibus

Euſtach. in Hom. odyſſ. Plut. apoph. obluctantes ad latera furores par Olympo riſit Gregorius? Quoties Ariſtide conſtantior moleſtis æquitatis oloribus non tam nomen, quam manus dedit? quoties demum, maleuolorum

Plut. apoph. lacon. Herodot. l. 7. (ſi quos vmquam habuit) rabiem non euicit? ſol nimirum Xerxis ſagittas, mare verbera, inſidias, conuicia Gregorius ęqua indignatione di-

Paul. manut adag. gnabantur, non ſpartano dixerim animo, ſed planè cæleſti. Porrò Gregorius (vt cætera omittam) ad pietatem natus, rapaci virtutis ingenio,

Philo. l. de eoquod deter. pot. inſid. paulo ante med. ſuæ mentis radices ex Philonis effato ſideribus infixas ſemper oſtendit; admirabili ſcientiæ virtutem ſubnectens ſingularem; vt proinde in eius elogio laborandum mihi non fuerit (quod euenit in ſapientum laudibus plerumque) vt exiguus aliquis pietati locus daretur. excreſceret nimirum

in

in Volumen Oratio, & laudatori dies potius quã res gestæ deessent, nisi compendio, temporis breuitati seruiens verboque omnia complectens dicerem, Gregorium tum se cæteris superiorem credidisse cum supra cæteros sapientia & virtute eminebat. Tanta æquitate cognita suis ereptus iterum inter infulatos Patres & ipse censor in eum cætum adscribitur, quem adeunt in ecclesiasticis beneficijs competitores. Inde librorum Iudex singulorum denunciatus, vt læsæ vel per ipsa duntaxat verba diuinæ maiestatis reos damnaret codices, ijsque peruicacem infami nota frontem inureret, in eum, quem *Indicis* vocant, conuentum est cooptatus. Audite iam quotquot estis monstra hæresum teterrima Luthere, Caluine, Oecolampadi, Beza, cæterique Gomorrhæo de grege putidiores sycophantæ; audite Cẽsorem vestrum, Iudicem vestrum, Herculem vestrum Gregorium; effundite fædas loquacitates; cælo scandala iaculantes voces protrudite. Vnus Gregorius præfixo nigro ⊙ conatus vestros omnes eludet, infringet. Rupem inuenistis plus quam Marpesiam, ad quam rostrata vestra, & violenta puppis allidatur. Clypeum habetis qui vestras retundat hastas, & quidem amentatas in merentium capita ruituras. Gurgitem denique nacti estis, vbi quæ fastuoso cursu prius lusere nauigia, miserè tandem sorbeantur. Vos vero A. Grego-

Auson. in pædag. Ascon. Ped. Cic. in Brut e l. Cass. Vir. 6. Aen

Cic. 1. de orat.

rium ex Hæreticorum, & reliquæ gentium colluuionis Iudice acerrimo, eorum etiam; quos sibi sponsos ad ciscit ecclesia *Episcoporum* nempe *examini* coram Pontifice adlectum suspicite. Mitto reliquos dignitatum gradus, ne diem longa enumeratione extinguam. Vnum tamen & præcipuum quidem omittere non possum, ex quo quantus fuerit Gregorius certiori decempeda metiri valeatis. Cooptato in Amplissimum Ordinem Purpuratorum Patrum Eminentissimo Principi Vincentio Maculano, in magistri munere suffectus est Gregorius, Atlanti nimirum non impar Hercules, qua quidem in re, non gratiæ, non amor, nō suffragia tantū illi dignitatis gradū impetrarunt. Sed vna Gregorij virtus vna sapientia sapiētissimū Pontificem VRBANVM OCTAVVM impulit, vt motu proprio Sacri vt aiunt Palatij Apostolici Magistrum Gregorium pronunciaret. O testimonium ad æternam tanti viri, commendationem post sæcula perennaturum! O laudem cæteris omnibus anteferendam! scilicet hoc etiam tantæ sapientiæ debitum deesse non poterat, Numini proximus Encomiastes. Tanti est A. virtutis habere laudatorem VRBANVM. Tanti est Patres virum habere VRBANO dignum laudatore. Tuum ergo fuit ò Gregori, sic adiudicante Pontifice, Vniuersitatis magistrum agere? Si nimirum Poetarum in floribus, latens anguis occul-

tum

tum virus machinaretur, tuum fuit noxium eius caput elidere: ſi Rhetorum inter venuſtates procacior aliqua luderet Venus, prophanam remouere; ſi philoſophico inuolutum pallio, ſtoicum dogma ſubreperet, ſagaci excuſſione diſpungere. Tuum fuit cælo vagantes fraude mala ſiderum violatores in viam reducere; legum interpretes humanarum, diuinis legibus conformare. Tuum fuit calamis, typis, ingenijs, mentibus, pænè dixerim, ipſis, metas definire. Tuum denique ius omne litterarium in terris excercere. deſinant ergo gloriari te præſente, vel Hercules, vel Hercule non minor Alexander, quod ius in vnam Ciuitatem à Corinthijs oblatum accepe-rint. Conuolabant agminatim, vel ab ipſis toto diuiſis orbe regionibus tuum ad tribunal litterati voluminum exercitus tuo cenſendi calamo, tuo nomine inſigniendi. reuolabant in patriam tui vexillum Nominis præferentes, hoc vno ſe libros liberos gloriantes, quod tui notam nominis, non ſeruitutis, ſed libertatis indicem inſcriptam fronti poſſent oſtentare. O nulli dynaſtarum conceſſam poteſtatem, Gregorij magiſterio dignam, quod vno duntaxat fronti præfixo charactere liberam totius mundi peregrinationem indulget. nulla proinde de te pagina ſilere poterit, quando vix vlla tuo nomine caret: nulla non laudabit lingua quando Vaticani Principis diuina prope

Laert. in diog. & Tertull. de Pa. l.

Horat. l. 1. od. 3.

Plut in vita Alex.

Virg. eclog. 1. 13.

Rod g. l. 7. c 31
Plin. l. 34. c. 3.

facundia commendaris.

Sileré hic ego venerabundus vbi patefactaVaticani Cortina Vicarium in terris Dei Oraculum eloquitur & glorioſo nomini hanc vltrò cognomenti glorioſioris attexit appendicem, *Gregorius Donatus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter*. Silerem inquam, niſi Virtus, quam è doctrinæ ſemente fructum erumpentem dixit Seneca, has me in voces amabili violentia erumpere cogeret. O dignam tanto magiſterio mentem, quæ non fucatam & vmbratilem ſapientiam ambitionis mercimonio venditabat, ſed Deo acceptam obſequentiſſimo labore referebat.

Senec. in ep.

At ò nimis anguſtos humanæ fælicitatis terminos! ò vitrea hominum vota! adeonè melioris virtutis amans cœlum eſt, vt eam diu terris nolit concedere? adeone temporum intemperies ijs parcere non nouit, qui æternitati pretium ſunt additori. Inuida proh nimium mors? ſi cæca falcem intorques, qui fit, vt ſemper digniora, & altiora demetas capita? Verum enimuerò quæ in Gregorij vita pietas enituit, clarius poſtmodum effulſit in morte. Decumbebat graui, & mortis prodromo morbo Gregorius, ſequè mortalem (quod ſaepe meminerat) doctus experimento, ad immortalitatem contentiſſimo ſpiritu anhelabat, qui à primis annis in mortis rudimentum vixerat; at qua mente po-

ſtre-

ſtremam illam beatæ vitæ periodum meditabatur! qua voce laudum tributa deo ſoluebat exacta fide! ſcilicet æſtuabat pectus illud peccatorum odio magis aſſuetum, qnam culpæ, & iteratis ſuſpirijs Ieſum ſuum, (ſuum fortaſſe hæredem pronuncians) pleno ore proflabat. Inde pendentis e cruce Numinis tenax, pedes in hominum ſalutem cruentatos repetitis terebat oſculis, & pertinaci pietatis ſpiritu, longioris adhuc vitæ ſpem inſinuantibus amicis, ore ad riſum compoſito, vocibus gaudio grauidis, iam iamq. magnum aliquid parituris, confidentiſſimè inclamabat ſæpius in hæc verba, quibus pietatem detraxerim, ſi quid addidero de meo, *depoſui* (aiebat) *ſpem meam in Deo meo, faciat Deus quicquid voluerit de hoſtia ſua, etiamſi occiderit me ſperabo in eum*. Condonet iam viro ſapienti dolorem Ariſtoteles de vitæ iactura, ridebit Gregorius: Ariſt. l. 3. eth. c. 9. quippe tamdiù inter viuos mortuus, dolere mortem non poteſt. O verè *ante vitia mortuum* hominem! ò dignam Deo victimam! Tu interim Senec. Gregori, Patribus in magiſterium mortis accerſitis, culparum petita indulgentia, opportuno ad peregrinationem commeatu, & viatico munitus, quod reluctante corporis imbecillitate lecto ſponte proſiliens excepiſti, teq. vitaq. tua iam maior, tertium à ſexageſimo agens annum inter omnium lachrymas ſerenus, qualis decebat

tan-

tantam mentem, vultu, oculis, ex medicorum præscripto, in somnum compositis (dicendum tandem est A. licet refugiente lingua) optima tui parte euolasti, & verè vitam cum somno diuidens, obdormisti in domino. Ereptus igitur est oculis mortalium, qui in omnium oculis ferebatur, dum omnium in sese oculos conuertebat. Vixit Gregorius Donatus, quem (vt aiebat ille) aut omnibus sæculis nasci oportuit, aut nunquam denasci. Vixit vestrum Amor Patres. Vixit etiam, (quod sine palmari ingrati animi nota præterire non possum) nostræ Societatis amantissimus; Cœlo siquidem eius virtus debebatur meritis theatrum nacta terris nobilius. Acerbam tamen & importunam mortem dicerem, si mors illa dici posset acerba, quæ integerrimæ vitæ non impar clausula est. Si importuna quæ Cœli proximam largitur opportunitatem.

Clem. Alex. 2. pæda. c. 9.

Vnum in te Gregori desiderandum reliquisti quod sapientes omnes excruiat. Tuos in Aquinatem Thomam, tuos de Deo legislatore commentarios, hoc est ipsum Theologiæ medullam, ipsum cor sapientię. At fortaßè tenebras adhuc amat Gregorius, qui clarus tum maximè fuit, cum latere cœpit. Prodeant vero in solem, suaq. luce diem ingeminent tam splendidi sapientiæ partus, & posthumam saltem parenti suo pariant gloriam. quamdiu premitis Patres non tegenda? quid